

juramento confirmatione Sedis apostolice, seu quacumque firmitate vallato, vel si pro aliis idem scripta nostra direximus, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, seu si. . Archiepiscopo, et Capitulo Lundensi a Sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli, aut excommunicari, suspendi, vel interdicti non possint, per litteras Sedis ipsius non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, vel qualibet dicte Sedis indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. Contradictores auctoritate nostra &c. *usque* compescendo. Datum apud Urbemveterem Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

499.

1264 d. 22 Oct.

Roskild.

Konung ERIK IV:s i Danmark stadfästelse på några Domkyrkans rättigheter inom Lund.

A. 5. a. 1: 1. *)

ERICUS dei gracia Danorum Sclauorumque Rex omnibus presens scriptum cernentibus in domino salutem Vniuersitati vestre tenore presentium constare volumus euidenter quod quidquid iuris ecclesia beati laurencij Lundis tempore dilecti patris nostri bone memorie & progenitorum nostrorum habuisse dinoscitur in ciuitate lundensi siue in platea que dicitur Saxægilde strætæ in nundinis scaniensibus id ipsum ad vsum ecclesie memorate sine diminutione qualibet in perpetuum volumus conseruari precipientes tam camerario nostro quam prefecto ceterisque officialibus nostris ne se de libertatibus dicti comiurij quas habet in ciuitate Lundensi siue eciam de predicta platea aliquatenus intromittant Vnde ne dicta ecclesia in posterum aliqua occasione iure suo priuetur quod ab antiquo in ciuitate prenominata seu eciam in platea memorata dinoscitur habuisse presentem paginam sigillo nostro signaari fecimus in testimonium et cautelam Datum Roskildis anno dominij MCCLXIII kal. nouembris Vndecimo Teste domino cancellario.

500.

1265.

BIRGER JARLS stadfästelse på ULFHILD BIRGERSDOTTERS gåfva af Hultakil till Wreta kloster.

D. a. 8: 1421.

Omnibus presentes litteras inspecturis Birgerus Dei gratia Dux Svecorum in omnium Salvatore salutem. Tenore presentium, tam futurorum

*) Efter en af Abbot PETER BERTISSON m. fl. i Allhelgona-Kloster gjord afskrift d. 23 Apr. 1502.

quam presentium notitia commendamus quod Ulvildis Birgeri quondam filia recepta in consortium sanctimonialium de Wreta, reddens se illi religioni talem ad eidem cœnobium de bonis suis donationem duxit faciendam, quod videlicet Hultakyl cum tribus colonis, et ceteris aliis pertinentiis illi monasterio starent perpetua firmitate subnixa, Cum igitur summa sit ratio, quod per religionem facit, nos eandem donationem licite et canonice factam auctoritate presentium confirmamus, easdem nostri sigilli annexione roborantes, Datum Anno Domini M.CC.LX.V.

501.

1265 d. 12 Febr.

Perugia.

Påfv. CLEMENS IV:s Bref till Predikare-Bröderna med stadgande att hvad gods de kunna ärfva eller förvärfva, skall af dem efter deras godtfinnande såsom deras egendom få användas.

A. 1. d. 57. *)

CLEMENS episcopus servus servorum dei, Dilectis filiis . . . Magistro & fratribus ordinis Predicatorum, Salutem & apostolicam benedictionem. Obtentu diuini nominis, cuius cultui sub sacre uestre Religionis obseruancia studetis mente deuotissima deseruire, uotis vestris libenter annuimus, & petitiones uestras in hiis que digne deposcitis fauorabiliter exaudimus. Ex parte siquidem nostra fuit propositum coram nobis, quod nonnulli Prelati, Clerici & laici in diuersis mundi partibus constituti, asserentes uos fore mortuos, nec ualentes proprium possidere, uos occasione huiusmodi a quibuslibet successionebus excludere moliuntur. Quare pro parte uestra fuit a nobis humiliter postulatum, vt, ne contingat uos propter huiusmodi presumptionem talium aliquod incurrere nocumentum, congruum super hoc remedium adhibere paterna diligencia curaremus. Nos itaque uestris supplicacionibus benignius annuentes, auctoritate apostolica declaramus, quod uos in temporalibus bonis, in quibus succederetis in seculo existentes, licite possetis succedere & bonorum ipsorum possessionem apprehendere ac uendere libere bona ipsa, eorumque precium in utilitatem uestram conuertere prout uobis melius uidebitur expedire. Vniuersas autem interdicti, suspencionis & excommunicacionis sentencias, quas contra presentis declaracionis tenorem per quemcumque ferri contigerit, decernimus irritas & inanes. Nulli ergo &c. nostre declaracionis & constitucionis &c. Datum Perusii. II. jdus februarij. Pontificatus nostri Anno Primo.

502.

*) Efter en af Capitlet och Prosten i Upsala gjord afskrift 1293. d. 18 Maj; jemf. A. 1. d. 58, en af Ärke-Bisk. JOHANNES i Stockholm 1414 d. 15 Jun. gjord afskrift.